



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Statim humilitatis exercitijs se dedit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

tam anno vno Rheticam in Scholis Societatis (in quibus affirmant eum longè ceteros omnes ingenio præiuisse, Græcisque ac Latinis seu versu seu prosâ antecelluisse) viii. Kalend. Octob. anno M. DC. XVI. annos natus septemdecim & medium , admisso Patris Caroli Scribani Provincialis, Mechliniæ in Tyrocinium Societatis ingressus est , Sabatti die ; primusque eorum extitit , qui è recentibus hisce Scholis in Societatem fuit cooptatus.

*Primus è  
Scholis  
Mechli-  
nienibus in  
Societatem  
admittitur.*

*Eius cum  
socio verba.*

*Statim hu-  
militatis  
exercitijs  
se dedit.*

Per idem tempus aliis quidam adolescens in Societatem receptus, cùm simul ambo ad Tyrocinium irent , Ioannes ingenti spiritu ardoreque plenus , per viam magno ei cum sensu dixit: O vtinam , mi frater, quemadmodum nunc simul ambo coimus in eamdem familiam religiosam , ad seruiendum Deo in terris, ita simul quoque alter alterum comitemur in cælum ! Proximè verò Tyronum domum , cùm videret Ioannes è nostris quendam, excolendo horto intentum, comiti , Et nos , inquit, certè non possumus melius quàm ab animi demissione charitateque vitam religiosam auspicari : hortumque ingressus , statim cum socio operi se dare cœpit.

Commemorare hoc loco non possum suaves illas cogitationes , piosque affectus, quibus

quibus gestiebat sancti adolescentis animus, vbi receptum se in domum Domini conspexit: nam ut hi Deo soli noti, sic à nemine sunt notati. Illius etiamnum primæ vesperæ memini, cùm post cœnam, dum in conclaui staret, in quod omnes ad remittendum animum conueniunt; vbi mundo se expeditum, Deique seruis adnumeratum vidit, tantâ fuisse interiùs dulcedine perfusum, ut totâ cā horâ, ob tenerrimum animi sensum, lacrymis continenter indulgere cogeretur.

Quamprimum fuit in familiam adlectus (*Virtus eius se prodie.*) neque enim diu latet virtus) sui statim specimen dedit, innocentis nimirum (qualis erat) puri, prudentis, omnique in re absoluti; plane ut Nouitorum instructor, ceteris eum in exemplum proponeret imitandum. Atque hinc etiam, quā in opinione eum Superiores habuerint, intelligi potest; quòd cùm necesse esset, creari ex ipsis Nouitijs vnum aliquem, qui reliquis Tyronibus quodammodo præcesset, eosque in externâ disciplinâ duceret, ac suum cuique munus partiretur, quique instar socij, vicariam quamdam operam commodaret ipsi Magistro Nouitorum; id munus scilicet detulerint Ioanni: quod ille tantâ omnium approbatione gesit, ut nemo umquam sit repertus, vel è cunctum amplius Nouitijs (quot tum capita cen-

B 4                    seban-

*Internum  
animi gas-  
tuum.*

*Nouitiis  
ceteris pra-  
ficiuntur.*